




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

S. Odilo Abbas. Cura defunctorum

[Köln], [1654]

S. Paulinus Episcopus. Caritas erga captivos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71907)



S. PAULINUS EPISCOPUS.

Caritas erga captivos.

Deus, qui admirabilem S. PAULINI
erga captivos caritatem, gratuita ci-
vium suorum libertate es remunera-
tus; da ut vincitorum compatiens
ærumnis, ipsi à vinculis peccatorum
absolvamur.

Ora pro captivis apud infideles,

✠

Patricio genere, sub annum 344, natus in Aquitania **PAVLINVS**, vir eruditissimus, idemq; an. 378 Valenti Imp. suffectus Consul, Reipublicæ primā vitæ partem impendit, ducta etiam uxore Therasia felix: sed, amisso quem hæc sibi genuerat filiolo, sumpsit una cum baptismo altiores spiritus; & anno 382 factus in Hispania Monachus, ac deinde Presbyter, uxorem haud invitam reliquit Barcinone; ipse vero Nolam abiit, sibi Deoq; victurus ad S. Felicis M. sepulcrum. Hoc dum versibus & ædificiis ornat, moritur urbis Episcopus Paulus, eique communi voto Paulinus sufficitur, & 25 Aprilis ordinatur. Eodem anno 409, Gothi cum Wandalis ex Hispania progressi, Campaniamq; & Nolam depopulati, occasionē ei dedere, in captivorum redemptionem sic effundendi omnia, ut nobilis viduę filio liberando nihil præter corpus suppetet, quod pro eo daret in servitutum. Et dedit; atque sub hortulani specie occultus latuit; quoad divinitus agnitus, liberque cum suis omnibus dimissus à Rege Thrasimundo, obiit Nolæ an. 431.

Omnia qua habere poterat, quotidie, concaptivis Fratribus, . . . impertiebatur.
Tob: 1.